



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Davidis Regii Prophetae Psalterivm**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs LXXI. In te Domine sperau, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS LXXI.

In te Domine speravi, &c.

**I**N te corde meo toto confido, Iehoua,  
Ne sine confundi spemq; fidemq; meam.  
Eripe me ærumnis, causamq; tuere iacentis,  
Munera per magna maxima iusticia.  
Inclina faciles, iuua & ipse fideliter, aures,  
Propter iusticia vimq; decusq; tua.  
Sis mihi præsidium, fugiam quo tutus ab hoste,  
Hoc te pollicitum, sis memor, esse mihi.  
Tu quoniam rupes mea, tu fortissima turris,  
Nulla, in qua positis arce, pericla nocent.  
Erue me manibus, quas impius iniicit hostis,  
Quas mihi iniquus homo, quas violeta cohors.  
Tu mihi Protector, mihi tu fiducia solus,  
Spes mea, dum matris pendo ab uberibus.  
Te nitor, tu me sustentas matris ab aluo,  
Vnde tuo nutu viuida membra traho.  
Hinc ego quod spiro, vitali vescor & aura,  
Hac accepta tibi, mi Deus alme, fero.  
Portentum videor multis, monstrosus abortus:  
At tu perfugium es, firma salusq; mihi.

Sint

Sint mea laude tua nunquam non ora referta,  
Et sine honore tuo non eat uilla dies.  
Ne me proiicias, cum venerit agra senectus,  
Membraq; cùm fuerint debilitata mihi.  
De me inimica manus configit crima multa,  
Quarit & huic anima noxia consilia.  
Dicendo: Deus hunc est auersatus, adeste,  
Abripite hinc, non est, qui ferat ullus opem.  
Ne, Deus, abscedas, procul et ne longius absis,  
Auxilio ut releues me, propera, adfer opem.  
Fac miseri ut pereant, & confundantur iniqui,  
Insidias anima qui posuere mea.  
Probrorum obruat hos ignominiosa procella,  
Qui mihi, quæ noceant, toxicadira parant.  
Ast ego perpetua bonitate fauoreq; fretus,  
Augebo laudes debito honore tuas.  
Iusticiaq; tua referam praconia gratus,  
Illa caret numero, quam memorabo, salus.  
Incedam virtute tua, Duce Ioua, tuaq;  
Iusticia pergam solius esse memor.  
A teneris, Deus, hanc animam instruis, hinc tua  
In celebri cætu facta stupenda cano. (semper  
Ne me destituas, vires ubi cana senectus

*Fregerit, in facie & ruga senilis erit.  
Fac, referam ut seris tua facta nepotibus, utq;  
Posteritas discat brachia nosse tua.  
Iusticia est sine fine, Deus, tu a celsa, nec ullus  
Talia qui faciat, viuit in orbe Deus.  
Tu mea ut affligis curarum mole fatigans  
Pectora: sic eadem viuificare soles.  
Tu reuocas terrae suppressum mole profundae,  
Ut recreet vires luminis aura meas.  
Tu me magnificum facis, & sustollis in altum,  
Solarisq; humilem, cum mihi dexter ades.  
Ergo tibi grates mea nunc Psalteria dicant,  
Procunctis meritis, pro bonitate tua.  
Quinetiam cithara meditabor psallere sancto,  
Cuius in Israël gloria nota, Deo.  
Vis anima tibi tota mea, à te Jova redempta,  
Leta canet laudes & mea lingua tuas.  
Namq; pudefacti fugient, probrisq; notati,  
Noxia qui misero damna parare student.*

*PSALMVS LXXII.*

*Deus, iudicium tuum Regi da &c.*

*O Dei*